

sine consonantibus sermo nequit existere. Et quoniam, ex literis omnes artes procreantur, uestigia quaedam in ipsis elementis animaduvertere possumus, ut in seminibus, artium dissimilitudinis. Longe antecellunt omnibus uocales, quæ per se uitam & spiritum habent, quia perfectum sonum edunt, non adiutæ ab alijs. Reliquæ quasi tibiæ ab his inflatæ sonum accipiunt.

Significant igitur uocales principem omnium artium, doctrinam religionis, quæ longe supra alias artes collocata, gubernat omnia uitæ consilia negocia & studia. Nec uero ciuilis disciplina sine religione retineri potest, Et iuris scientia plurimum a doctrina religionis mutuatur, Ideo sicut semiuocales & si habent obscuram quandam uocem, tamen suum munus tueri non possunt sine uocalibus, Ita in disciplina politica religio ciuilibus institutis uocem addit, tuetur autoritate sua ius humanum & emendat cum opus est.

Mutæ literæ quasi priuatam uitam significant, quæ uere muta est, hoc est agrestis & fera sine religione & ciuili consuetudine. Ut igitur sermo ex dissimilibus literis contexitur, Ita diuersa genera artium atq; actionum in uita necessaria sunt.

Quanquam autem iamdudum uereor ut uiri docti in hoc confesso has ineptias æquo animo ferant, tamen quoniam habetur oratio ad iuuentutem,